



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theodōritu Episkopu Kyru Kai Eyagriu Scholastiku  
Ekklesiastikē Istorìa, Eklogai Apo Tōn Istorion  
Philostorgiu Kai Theodōru**

**Theodoretus <Cyrrhensis>**

**Mogvntiae, 1679**

Ad Stvdiosos Ecclesiasticae Historiae Lectores, Praefatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14162**

AD STUDIOſOS  
ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ  
LECTORES,  
PRÆFATIO.



HABES hic, Lector, tertium ac postremum volumen Græcorum Ecclesiasticæ Historiæ Scriptorum, pari curâ ac diligentia quâ superiora duo, à me elaboratum. Nam & Græcus textus innumeris in locis ex optimorum exemplarium fide à me expurgatus est, & lacunæ quæ in prioribus editionibus occurrebant, ex eorundem Codicum authoritate expletæ sunt, præcipue in libris Evangelii ac Philostorgii. Novam præterea interpretationem Latinam adjeci: adeo ut universum jam corpus Historiæ Ecclesiasticæ, uno eodemque stylo expositum legi possit. Satius enim esse duxi novam interpretationem procudere, quam in aliorum versionibus corrigendis molestam atque invidiosam operam impendere. Nihil juris in opus eorum qui ante nos hoc in stadio decurrerunt, nobis arrogare volumus. Sua cuique laus & suus honor debetur: quem quidem nos integrum atque illibatum augere potius quam minuere perpetuo studebimus. Annotationes denique subjeci, quibus & emendationum mearum rationem redderem, & si qua obscura essent, & aliquid Ecclesiasticæ aut sæcularis antiquitatis reconditum continerent, exponerem. Et hæc quidem de omnibus Scriptoribus qui hoc volumine continentur, generaliter dicta sint. Nunc de singulis agamus.

Primus in hoc volumine est Theodoricus Episcopus Cyri, vir tum suis scriptis, tum aliorum testimonio celeberrimus. De quo ne plura hic necesse habeam dicere, fecit diligentia doctissimi viri Jacobi Sirmundi, qui in editione operum Theodorici, de ejus vita & scriptis abunde præfatus est. Quædam duntaxat de Ecclesiastica ejus Historia hic præmonenda esse duxi: ac tum demum quid in hac nova ejusdem Historiæ editione à me præstitum fuerit, exponam. Titulus quidem operis in editione Basileensi ita concipitur. τὰ μακαρία θεοδώρετα ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας τόμοι πέντε. Mirari quis non immerito possit, quid sit quod Theodoricus, tum in titulo horum librorum, tum alibi passim, beatus tantum cognominatur, nec ut alii Patres, sancti Patris pronomine deco-

P R Æ F A T I O.

ratur. Nam cum eximiâ vitæ sanctitate præditus fuerit, & à prima ætate in Monasterio institutus, inde ad Episcopatum non sponte sed invitus accesserit: cum pro Ecclesiæ utilitate tot ac tantos labores pertulerit, tot tamque eruditæ voluminibus, partim utriusque Testamenti libros interpretatus sit, partim adversus hæreticos & Gentiles decertaverit; titulum sancti Patris meritis profecto esse mihi videtur si quis alius. Hoc enim titulo affici interdum videmus eos qui Episcopi nunquam fuerunt. Exemplo sit beatus Ephrem, qui à Gregorio Nysseno & in Græcorum Menologio, hoc pronomine insignitur, licet non ultra Diaconi gradum processerit. Multi præterea in eodem Menologio appellantur sancti Patres, ob id unum quod Episcopali munere summa cum laude perfuncti essent, quamvis nulla eorum scripta ad nos pervenerint. Fatendum certe est, Theodoritum nostrum & sanctitate vitæ & doctrinâ, multis sanctorum Patrum æqualem fuisse. Sed ne inter sanctos Patres referretur, duo præcipue ei obstiterunt. Primum est, quòd adversus duodecim anathematismos Cyrilli Alexandrini ex professo scripsit. Contra Cyrillum autem scribere, idem pæne est quod adversus Synodum Oecumenicam cui præfuit Cyrillus. Itaque Nicephorus Callistus in præmio Ecclesiasticæ Historiæ diserte affirmat Theodoritum contra tertiam Oecumenicam Synodum scripsisse. Nocuit præterea Theodorito liber Apologeticus, quem pro defensione Theodori Mopsuesteni Episcopi elucubravit, ut ipse testatur in epistola sexta ad Irenæum Episcopum Tyri. Quo loco Theodoritus magistrum suum diserte appellat Theodorum Mopsuestenum. Sanè plures libros pro defensione Theodori Mopsuesteni à Theodorito conscriptos esse, testatur Imperator Justinianus in edicto de confessione rectæ Fidei ad universos Catholicos, cujus verba infra referemus. Cum igitur Theodorus Mopsuestenus, pater Nestorianæ impietatis habitus sit, ejusque scripta Synodi universalis judicio fuerint condemnata, non sine causâ Theodoritus qui illum tam studiose defenderat, in suspicionem venit hæreseos. Atque idcirco, tametsi de Ecclesia Catholica optime meritus fuerit, nec natalis ejus dies annuâ commemoratione honoratus est, nec ipse inter sanctos Patres locum suum habet in Menologio. Atque hæc dicta sint de illo *ἁγίου πατρὸς* pronomine, quo Theodoritus noster tum in hujus Historiæ, tum in aliorum operum inscriptione afficitur. Nunc ad ipsam historiam accedamus: & quonam consilio, quo tempore à Theodorito conscripta, quot libris comprehensâ fuerit; quodnam item de illa judicium fuerit antiquorum simul ac recentiorum, breviter inquiremus. Quo consilio Theodoritus ad scribendam Ecclesiasticarum rerum Historiam se contulerit, satis ipse declarat in præmio sui operis: ut scilicet res memoratu dignas, quæ ab iis temporibus in quibus Eusebius Cæsariensis finem scribendi fecit, in Ecclesiis contigerant, posteriorum memoriæ commendaret. Idem quoque consilium fuit Socratis atque Sozomeni. Hi enim tres uno eodemque tempore, id est, sub exitum imperii junioris Theodosii, rerum Ecclesiasticarum Historiam scribere aggressi, idem omnes scribendi principium sumpserunt, eundem-

P R Æ F A T I O.

que finem historiae suae imposuerunt. Ab iis enim temporibus exorfi quibus Eusebius historiam suam terminaverat, ad extrema usque Theodosij junioris tempora narrationem suam produxerunt: adeo ut difficile sit dicere, uter illorum prior, uter posterior scripserit. Ac de Socrate quidem & Sozomeno, antè hos quatuor annos cum novam eorum editionem in lucem emitterem, in Præfatione mea ita sensi: Socratem Scholasticum priorem Sozomeno ad Historiam scribendam se contulisse: idque firmis ac probabilibus argumentis, quantum fieri potest, adstruere conatus. Nunc vero de Theodorito idem affirmare ausing; videri illum post Socratem atque Sozomenum ad res Ecclesiasticas scriptis mandandas animum applicuisse. Rationes vero quibus, ut id sentiam, inducor, hæc fere sunt. Primo enim omnes fere antiquos in ea fuisse sententia animadverto. Certè Cassiodorus Senator in Præfatione quam Tripartitæ Historiæ præfixit, ex tribus illis quos supra memoravi Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, Theodoritum postremo loco nominat. Justinianus quoque Imperator in edicto de confessione veræ Fidei, & Photius in Bibliotheca eundem ordinem servat. Sed & Nicephorus Callistus in exordio Historiæ suæ, Ecclesiasticorum Scriptorum indicem texens, Theodoritum nostrum post Sozomenum collocat. Nec aliter Evagrius in proœmio operis sui. Præterea Historiam Ecclesiasticam Theodoriti nihil fere aliud esse quam supplementum Historiarum Socratis atque Sozomeni, facile deprehendet quisquis eam attente perlegerit. Quæ enim ab illis prætermissa erant, Theodoritus noster accurate commemorat. Quippe illi cum Constantinopoli degerent, ea potissimum quæ in Ecclesia Constantinopolitana contigerant, scriptis prodiderunt: quod quidem ipse Socrates alicubi testatur. Reliqua vero aut penitus ab iis prætermissa sunt, aut leviter tantum perstricta. At Theodoritus, utpote qui in Orientis partibus vixit, res Orientalis Ecclesiæ diligentissime persequitur. Cujusmodi sunt ea quæ de Meletio Antiocheno, de Flaviano item ac reliquis ejus successoribus narrat. Item quæ de Eusebio Samosatense Episcopo, de Barsæ Edesseno, de Protogene atque Eulogio, de Pelagio Laodiceno, de Acacio Beroënsi, de Marcello denique Apamensium Episcopo scripta nobis reliquit. De quibus cum Socrates ac Sozomenus nullam in historiis suis mentionem fecerint, res tantorum virorum præclare gestæ, oblivioni penitus mandatæ essent, nisi Theodoriti nostri diligentia eas ab interitu vindicasset. Certè Theodoritus in principio operis sui id nobis innuere videtur, cum scribit, ea se litteris mandare instituisse quæ Historiæ Ecclesiasticæ deerant. τῆς ἐκκλησιαστικῆς ιστορίας τὰ ληθόμενα συγγράψαι παρ' ἐμοῦ. Quanquam hæc Theodoriti verba aliter etiam intelligi possunt; ut in Annotationibus meis observavi. Ad hæc Theodoritus errores qui à Socrate ac Sozomeno admissi fuerant, non raro in Historia sua corrigit, nam cum illi in rebus gestis Athanasij præcipuè Alexandrini & Pauli Constantinopolitani referendis multa peccassent, Theodoritus suppresso eorum nomine, quod est hominis probi ac modesti, errorem illorum emendare solet, quemadmodum in Annotationibus meis

P R Æ F A T I O.

monui, pag. 18. & 19. Ex his omnibus apparet, Theodoritum aliquanto post Socratem atque Sozomenum Historiam suam edidisse. Is enim Scriptor qui alios supplet atque emendat, post illos scripsisse convincitur. Denique Theodorus post annum Christi 448. quo Eutyches errorem suum palam disseminare cœpit, Historiam suam publicavit; cum Socrates atque Sozomenus Consulatu Theodosii decimo septimo, id est, anno Christi 439. Historias suas abfolverint. Certè Theodorus noster in libro quinto hujus Historiæ, capite tertio, Eutychetis opinionem jam tum cum exscriberet, turbas in Ecclesia concitasse scribit. Sic enim ait pagina 201. *Ex hac radice (Apollinaris scilicet Laodiceni doctrina) pullulavit in Ecclesiis opinio illa, unam esse naturam carnis ac Deitatis; & illa quæ Unigeniti Divinitati passionem attribuit, & alie plures quæ tum inter populos, tum inter Sacerdotes aliarum Provinciarum, magnam discordiam concitarunt. Verum hæc postea gesta sunt. Quibus verbis Eutychianos & Theopaschitas haud obscure designat, qui ex Apollinaris stirpe prognatierant, ut in Annotationibus observavi. Hinc est quod in epistola 82. ad Eusebium Episcopum Ancyrae, quæ data est anno natalis Dominici 445. Consulatu Valentiniani sexto & Nomi, omnium opusculorum suorum indicem texens, nullam Ecclesiasticæ Historiæ mentionem facit. Quam certè nunquam omisurus erat, si tunc edita fuisset in lucem, cum ista scribebat. Alia enim recenset opuscula quæ longe inferioris sunt meriti; puta, vitam Sanctorum, id est, Historiam Philotheon. Scio quidem, Baronium hanc Theodori ad Eusebium Ancyranum epistolam in annum Christi 443. contulisse. Putavit enim Illustrissimus Cardinalis, Theodoritum cuncta illic opuscula sua recensere, tam quæ ante Synodum Ephesinam, quam ea quæ duodecim annis post eandem Synodum in vulgus ediderat. Sed quod pace summi viri dictum sit, non id dicit Theodorus. Verba Theodori sunt hæc, ut interpretatus est Sirmundus: *Ac ne quis existimet metu percussum me ista nunc dicere, integrum est cui animus fuerit, antiqua opera mea evolvere, tum ea quæ ante Synodum Ephesinam, tum quæ post illam rursus ante duodecim annos scripsi.* Græca Theodori sic habent: *τοῖς ἀπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐν ἐφέσῳ, καὶ τοῖς μετ' ἐνέωλυ τῶν ἀπὸ δυοκαίδεκα ἐτῶν.* Si vera esset Baronii sententia, Theodorus dixisset *διὰ δυοκαίδεκα ἐτῶν*, id est, *per continuos duodecim annos.* Verum cum Theodorus non per duodecim annos, sed ante duodecim annos diserte scripserit, alius sensus sit oportet horum verborum: ut scilicet Theodorus quinque circiter aut sex annis post Synodum Ephesinam libris scribendis vacaverit: exinde vero per annos duodecim silentium tenuerit. Græca certè ejus verba quæ modo protuli, alium sensum non admittunt, sed & Theodorus ipse in Epistola 113. ad Leonem Papam, sententiam nostram aperte confirmat. Quod si cui Baronii sententia magis arrideat, equidem non magnopere repugnabo. Nam sive anno Christi 448 quæ mea est opinio, sive, ut Baronio placet, anno 443 scripta sit hæc epistola, semper ex ea efficitur id quod dixi, Theodoritum scilicet post Socratem ac Sozomenum Historiam Ecclesiasticam edidisse. Sed dicet aliquis: Si*

P R Æ F A T I O.

Theodoritus Historiam suam scripsit post Socratem, cur ergo Socrates quidem hæresin Nestorii & Ephesinæ Synodi gesta commemoravit: Theodoritus vero ne mentionem quidem ullam fecit Nestorii? Cur Socrates Maximinianum & Proclum Constantinopolis Episcopos qui Nestorio successerunt, resque sub illis gestas, in Historia sua retulit. Theodoritus autem noster in Sisinnio Constantinopolitano Episcopo qui decessor Nestorii fuit, Historiam clausit? Huic quæstioni non difficile est respondere. Theodoritus cum ad Nestorii tempora pervenisset, eorum narrationem de industria declinavit, ne vulnus jam prope sopitum ac sanatum refricaret: neve tumultus ac perturbationes Ecclesiæ, quarum ipse maxima pars fuerat, commemorando, aut sanctissimos Antistites offendere, aut semetipsum reprehendere cogeretur. Hac de causa Theodoritus harum rerum Historiam, velut scopulum quendam, consulto vitavit: non quod ante Concilium Ephesinum Historiam suam scripsisset; sed quia periculosum existimabat & lubricum, res in eo Concilio gestas scriptis tradere. Satis enim constat, Theodoritum post supradictam Synodum Ephesinam, Ecclesiasticam Historiam edidisse. Idque tum ex his quæ supradixi, manifestissime convincitur: tum ex eo quod Theodoritus ipse scribit in libro quinto, capite 36. Ubi de Joannis Chryostomi obitu scribens ait, ejus reliquias diu postea in urbem Regiam allatas fuisse jussu junioris Theodosii qui tum regnabat. Porro corpus Joannis Chryostomi relatam est Constantinopolim Consulatu Theodosii decimo sexto, ut testatur Socrates, id est, anno Christi, 438. elapsis jam fere annis septem à Concilio Ephesino. Ex quo apparet verissimum esse id quod dixi, historiam scilicet Ecclesiasticam diu post Ephesinam Synodum, & post damnationem Nestorii, à Theodorito scriptam fuisse. De tempore quo Theodoritus Historiam suam edidit, satis jam dixi. Quod vero attinet ad numerum librorum ejusdem Historiæ, quinque duntaxat ejus libri ad nos pervenerunt. Nec plures agnovit Photius ac Nicephorus, & ante illos Cassiodorus Senator, atque Evagrius. Gennadius tamen in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, decem Historiæ Ecclesiasticæ libros à Theodorito scriptos esse affirmat, exemplo Cæsariensis Eusebii: eosque à fine librorum Eusebii, id est, à vicennialibus Constantini, usque ad Imperium Leonis senioris continua serie progredi; Sed Gennadii sententiam ipse refellit Theodoritus, qui in fine libri quinti disertè testatur, se Historiam suam claudere in obitu præstantissimorum Antistitum, Theodori Mopsuesteni & Theodoti Antiocheni: eamque complecti res annorum quinque supra centum spatio gestas. Gerardus quidem Vossius in libro de historicis Græcis, duplicem fuisse censet editionem Historiæ Theodoriti. Priorem, in qua sex duntaxat continebantur libri. Alteram vero, quæ alios quinque adjunctos haberet libros, quibus res in Ecclesia gestæ à fine Theodosii junioris usque ad Leonis Imperium narrabantur. Verùm hos quinque posteriores libros temporis injuriâ periisse. Sed cum nemo ex veteribus plures quam quinque Ecclesiasticæ Historiæ Theodoriti libros unquam agnoverit, equidem Gennadium hallucinatum esse potius crediderim, præsertim

P R Æ F A T I O.

cum in Theodoriti operibus recensendis valde negligens fuisse deprehendatur. Porro de historia Theodoriti, optime omnino iudicavit Photius in Bibliotheca. Ejus stylum ait præstantiorem esse Socratis ac Sozomeni stylo. Perspicuum enim esse & grandem, nec tamen redundantem, sed Historiæ rerû Ecclesiasticarum aptissimè convenientem: nisi quod translationibus interdum utitur audacius, & ut ita dicam, putide. Certè dum hanc Theodoriti Historiam in Latinum sermonem converterem, verissimum esse id quod de metaphoris illis dixerat Photius, non sine fastidio deprehendi. Hujusmodi enim figuræ, præcipuè in historia rerum gestarum, maximam molestiam pariunt interpreti. Illud præterea in historia Theodoriti reprehendendum mihi videtur, quod in toto opere nullam notam temporum adhibuit. Nam neque Consules nominat, nec quo cujusque Imperatoris anno res gestæ sint, observat. Quanto magis laudanda est Socratis diligentia, qui nullum fere generale aut particulare Concilium, nullum majoris momenti negotium referre solet, quin Consulatum simul adjungat, quæ certissima est temporum nota. Sed jam tempus est, ut de hac editione nostrâ pauca dicamus. Tres omnino hujus historiæ editiones Græcæ hæctenus prodierunt. Prima omnium excusâ est Basileæ, anno natalis Dominici 1536. quam proxime sequenti anno in Latinum sermonem conversam edidit Joachimus Camerarius. Octo post annis eadem Theodoriti historia Regiis typis excusâ prodiit Parisiis ex officinâ Roberti Stephani, unâ cum reliquis Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus. Tertiam demum ejus editionem curavit Jacobus Sirmundus anno Christi 1642. quæ habetur in tomo tertio operum ejusdem Theodoriti. Et Basileensis quidem editio ex optimo Codice Manuscripto expressa est, cujusmodi multis exemplaribus civitas illa olim abundavit. In Parisiensi autem editione, Robertus Stephanus duobus usus est MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ: quorum ex altero variantes lectiones ad calcem editionis suæ subjunxit: quæ quidem nobis non inutiles fuerunt. Jacobi autem Sirmundi editio, cum in quibusdam locis à duabus illis prioribus dissentiat, ex quibus MSS. exemplaribus emendata fuerit, nobis adhuc incompertum est, cum Sirmundus in Præfatione suâ istud notare omiserit. Quantum tamen conjecturâ assequi possumus, duobus illis Bibliothecæ Regiæ Codicibus, quos Robertus Stephanus sequutus fuerat, usus videtur. Ego vero duos alios MSS. Codices Theodoritiæ Historiæ, eosque optimæ notæ nactus, editionem hanc adornavi, ut omnium ultimam, sic etiam emendatissimam. Primus fuit Codex Leonis Allatii, Tripartitam historiam continens, quam Theodorus Lectorex tribus Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus, Theodorito scilicet, Sozomeno ac Socrate collegerat, in duos distributam libros. Ex hoc Codice variantes lectiones in historiâ Theodoriti nostri, Samuelis Tennulii Professoris Novioma-gensis manu descriptas, dudum ad me misit Doctissimus vir, & de literis optime meritus Leo Allatius. Porro hic Codex ultra secundum Theodoriti librum non procedit. Secundus Codex fuit olim Henrici Savilii Doctissimi viri, qui nunc in Auxoniensi Bibliotheca servatur. ut  
 accipi

P R Æ F A T I O.

accepi. Ex eo codice variantes Lectiones, ad latus editionis Roberti Stephani idem Savilius suâ manu annotarat, ut docet Scholium quod in fronte primæ paginæ adscriptis his verbis : *Christophorus ex tribus præstantissimis MSS. exemplaribus, Vaticano, Veneto & Florentino, vulgatum hunc à Roberto Stephano codicem emendavit. Variæ Lectiones ex editione Christophori locis dubiis inspicendæ sunt ad finem editionis Latinæ Colonia anno 1581. Nam quæ hic apponuntur, sunt ex manuscripto meo, & cum illis fere conveniunt.* Extat penes me editio illa Roberti Stephani, manu Henrici Savilii annotata, quam Jacobus Usserius Armacanus, vir optimus ac doctissimus, dudum ad me misit. Hujus igitur exemplaris ope, tum alia loca quam plurima in Historia Theodoriti emendavi, tum indicem Episcoporum qui Patriarchales sedes obtinuerunt à vicesimo anno Imperii Constantini usque ad Principatum Theodosii junioris, quem Jacobus Sirmundus mendosissimum ediderat, puriorem atque integriorem dedi. Et initio quidem, Jacobi Sirmundi interpretationem sufficere existimabam, nec novæ translationis laborem suscipere decreveram. Postea verò cum animadvertissem, & ordinem capitum & alia quædam contra auctoritatem scriptorum exemplarium ab illo esse immutata, & ejus versionem quibusdam in locis ferri non posse, novam tandem versionem aggressus sum. Hactenus de Theodorito.

Secundum in hoc volumine obtinet locum Evagrius Scholasticus. Fuit hic Syrus genere, perinde ac Theodoritus : ortus ex urbe Epiphania, quæ civitas fuit Syriæ secundæ, ut ipse in titulo operis sui prodidit. Itaque miror Gerardum Vossium, qui in libro de Historicis Græcis p. 498. Evagrium Antiochensem fuisse scribit. Atqui Evagrius ipse, tum in titulo Historiæ, tum in libro tertio, capite 34. disertè testatur, se domo Epiphaniensem fuisse. Illic enim de Cosma Episcopo Epiphaniæ loquens ita scribit : *Cosmas, inquit, Episcopus nostræ Epiphaniæ, quam Orontes fluvius alluit, &c.* Sed & Photius in Bibliotheca cap. 29. Evagrium oriundum fuisse dicit Epiphaniâ, urbe Syriæ Coeles. Mirum tamen est, Evagrium nostrum non Epiphaniensem, sed *Ἐμφανῆ*, id est, *Illustrem*, duobus in locis appellari à Nicephoro Callisto. Nam in capite primo libri primi Nicephori ita scribitur : *ὁ γὰρ μὲν δὲ ἀρχὴ ὁ Ἐμφανῆς, &c.* Et in libro 16. cap. 31. locum Evagrii adducens Nicephorus, ex libro tertio capite 34. cujus paulò ante mentionem feci, ita scribit : *διὰ τὴν καὶ δὲ ἀρχὴ ὁ Ἐμφανῆς καὶ Ἐμφανῆς.* Sed utrobique erratum esse censeo ab antiquariis, qui *Ἐμφανῆς* scripserunt pro *Ἐμφανδῆς*. Certè Nicephorus ex ipsius Evagrii verbis quæ illic adducit, & quæ superius à nobis prolata sunt, perspicue discere poterat Evagrium Epiphaniensem fuisse. Porro natus est Evagrius principatu Justiniani Augusti, anno natalis Domini 536. vel 537. ut ex ipsius Evagrii testimonio demonstravi pag. 107. Annotationum. Anno Christi 540 ludimagistro traditus est à parentibus, ut litteras disceret. Quo quidem tempore cum Thomas Apamensium Episcopus finitimis urbibus denuntiasset, se vivificum Crucis lignum quod Apamiæ servabatur, certo die ostensurum esse, deductus est Evagrius à parentibus in eam urbem, & miraculum illud quod tum in Ecclesiâ factum est, oculis suis spectavit, ut testatur in lib. 4. capite 26.



P R Æ F A T I O.

Id autem contigit anno Christi 540. cum Persæ in Syriam irruptione facta Antiochiam incendissent : quod factum est Justino juniore Consule, ut Marcellinus Comes, & Marius in Chronico tradiderunt. Bimennio post cum lues inguinaria in Oriente grassari cœpisset, Evagrius adhuc sub ludimagistro litteras discens, eâ pestilentia correptus est, ut ipse testatur in capite 29. libri 4. Relictis deinde Grammaticorum Scholis, Rhetoricæ operam dedit. Cumque magnos in hac arte progressus fecisset, Advocatorum numero adscriptus est. Unde etiam cognomentum retulit Scholastici : quæ vox Causidicum significat, ut docet Macarius in homilia decima quinta his verbis: ὁ θέλων μαθεῖν γράμματα, ἀπέρχε) καὶ μανθάνε τὰ (ημεῖα: καὶ ὅταν γῆν) ἐκεῖ πρῶτ) ἀπέρχε) εἰς τὴν σχολὴν τῶν Ῥωμαϊκῶν, καὶ ἐστὶν ὄλων ἐρχά) πάλιν ἐκεῖ ὅταν γῆν) πρῶτ) ἀπέρχε) πρὸς τὴν σχολὴν τῶν γεαμμάτων, καὶ ἐστὶ πάλιν ἐκεῖ ὄλων ἐρχά) δευχά) εἶτα ὅταν γῆν) σχολαστικός, ὄλων τῶν δικολόγων δευχά) καὶ ἐρχά) ἐστὶ πάλιν ὅταν ἐκεῖ γῆν) πρῶτ) τότε γίνε) ἡγεμῶν. καὶ ὅταν γῆν) ἀρχῶν, λαμβάνει αὐτῶν βοήθον τὸν συκιάδεον, id est, ut interpretor, qui negotia forensia vult discere, ab ipso primum & discit notas. Et postquam ibi primus evaserit, vadit ad Scholam Romanorum, & est omnium postremus. Deinde cum hic primus extiterit, pergit ad Scholam Pragmaticorum : & hic rursus fit omnium postremus, Novitius. Postea cum factus fuerit Scholasticus, omnium causidicorum postremus est Novitius. Deinde cum ibi primus evaserit, tum fit Præses : & postquam fuerit Præses seu Rector Provincie, adiutorem sibi assumit Consiliarium sive Assessorem. In Græco textu Macarii emendavi ὁ θέλων μαθεῖν προγράμματα, non ut vulgo legitur γράμματα. Porro qua in urbe Evagrius Causidicinam exercuerit, incertum est. Suspicio tamen eum Antiochiæ causas egisse : qua in urbe tria erant fora seu tribunalia, ac totidem Advocatorum Scholæ, ut ex Libanio observavi in meis ad Evagrium Annotationibus pag. 62. Certè Epiphaniæ, quam ejus patriam fuisse supra docuimus, Advocatus esse non potuit, cum ea civitas forum judicarium non haberet, sed causas suas Apamiam deferret, quâ in civitate Consularis Syriæ secundæ jus dicebat. Verum ut Antiochiæ potius quam Apamiæ Advocatum fuisse credam Evagrium, hæc potissimum ratio facit, quod in ea urbe plurimum versatus est, & uxorem ibi duxit, filiosque ex ea sustulit. Filiam quoque ea in urbe nuptui dedit, ut testatur ipse in libro quarto capite trigesimo nono. Quæ cum pestilenti morbo extincta fuisset unâ cum filio, anno Imperatoris Mauricii decimo, Evagrius conjuge ac liberis suis orbatus ad secundas nuptias transfiliit, & virginem puellam matrimonii jure in eadem urbe sibi sociavit, uti refert in libro sexto capite octavo. Ubi etiam testatur, universam urbem ea de causa ferias egisse, ac publicam festivitatem, tum in pompa, tum circa thalamum celebrasse. Ex quo obiter apparet, quanta ejus fuerit auctoritas Antiochiæ. Præterea Historiam suam scripsit Antiochiæ, ut colligitur ex capite 20. libri primi. Ubi loquens de profectioe Hierosolymitana Eudociæ Reginae, ait eam venisse Antiochiam: χρόνις ὕστερον δὲ τὴν ἀγίαν ἐπερχομένη πόλιν, ἐπλάυθα τὴν γινε), id est, qua diu postea ad sanctam pergens civitatem, huc venit ( Antiochiam scilicet). Degebat igitur Antiochiæ tum cum ista scriberet Evagrius.

P R Æ F A T I O.

Hinc est quod Evagrius opera & ædificia publica urbis Antiochiæ tam studiose recenset, ut videre est in libro primo capite 18. & in libro tertio capite 28. Quibus in locis non obscure indicat, se dum ista scriberet, Antiochiæ vixisse. Hinc etiam est, quod terræmotus quibus Antiochia subinde concussa est, tantâ curâ ac diligentia commemorat: & quod in temporum notatione annis Antiochenorum perpetuo utitur. Denique istud etiam colligitur ex capite septimo libri sexti, ubi scribit Gregorium Patriarcham Antiochenum, cum apud Joannem Comitem Orientis accusatus fuisset incesti à quodam argentario, ad Imperatorem & ad Synodum provocasse. Cumque Constantinopolim pergeret, coram Imperatore ac Synodo causam suam profecuturus, Evagrium secum deduxisse, velut Assessorem & Consiliarium, ut ejus consilio uteretur. Quibus verbis Evagrius satis apertè significat, se Advocatum & Jurisperitum fuisse. Ex horum enim corpore Assessores sumi solebant à magistratibus, tam civilibus, quàm militaribus. Non solum autem in hoc criminali negotio, verum etiam aliis in causis Gregorius Consiliarium habuit Evagrium. Nam cum esset Patriarcha Orientalis Ecclesiæ, & innumerabiles quotidie causas disceptare cum oporteret, omnino Assessore aliquo opus habuit, qui Juris & Legum formulas ipsi suggereret. Certe verba Evagrii prorsus significant id quod dixi. Ait enim *ἔτι τῶν ἐν ἐμοῦ τῶ ἀποδοσίῳ & καὶ τῶ ἀργύῳ & γε αὐτῶν τῶ βασιλέως γέγονε, τῶ ἀποδοσίῳ ἰδέξω.* Verum hac de re Studiosi pro arbitrio suo judicabunt. Mihi sufficit conjecturam meam lectoribus proposuisse. Cæterum idem Gregorius non solum in judiciis, sed etiam in scribendis epistolis & in relationibus quas ad Imperatorem subinde mittebat, in concionibus item & orationibus, ingenio utebatur Evagrii, quemadmodum testatur Evagrius in fine operis sui. Quod quidem volumen cum Evagrius non sine consensu Gregorii Patriarchæ in lucem edidisset Principatu Tiberii Constantini, Quæstorii dignitate ab eodem Imperatore donatus est. Nec multo post cum orationem composuisset de laudibus Mauricii Augusti ob natalem Theodosii nobilissimi pueri, codicillos Præfecturæ ab eodem Mauricio accepit, ut ipse in Epilogo Historiæ suæ testatur. Verba Evagrii sic interpretatus est Christophorus : *Pro quibus duos honoris gradus consecuti sumus: Quæsturam à Tiberio Constantino, & munus tabularum servandarum, in quibus Præfectorum nomina inscribebantur, à Mauricio Tiberio.* Quæ quidem prava interpretatio imposuit Gerardo Vossio & Philippo Labbæo. Nam Vossius quidem in libro de Historicis Græcis, Christophoroni vestigiis insistens, ita dicit: *Pro duobus autem hisce libris aut gemino se honore esse affectum. Nam à Tiberio Constantino Quæsturam fuisse ornatum: sed à Mauricio consecutum esse, ut Tabulis publicis præesset.* Philippus autem Labbæus in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis, versionem Christophoroni sic interpolavit: *Seque duos honoris gradus ait consecutum: & primùm à Tiberio Constantino ad quæsturam erectum; tum à Mauricio munus adeptum servandarum Tabularum, in quibus non tam nomina, quàm ipsa Præfectorum acta inscribebantur.* Quantò melius Musculus, qui Evagrii locum ita vertit. *Quarum etiam gratiâ duas dignitates sumus conse-*

P R Æ F A T I O.

cuit: à Tiberio Constantino questuratum largiente, Mauricio vero Tiberio litteras Hy-  
 parchicas mittente. Codicillos Præfecturæ voluit dicere, quos Latini e-  
 tiam litteras appellant, ut jam pridem observavi in Annotationibus ad  
 Ammianum Marcellinum. Hinc est quod Evagrius in titulo Historiarum  
 suarum, *σε δὲ ἐπιλέγων* appellat, eo quod codicillis honorariæ præ-  
 fecturæ ab Imp. donatus fuisset. Edidit postea idem Evagrius sex libros  
 Historiæ Ecclesiasticæ, exorsus ab iis temporibus in quibus Theodo-  
 ritus ac Socrates desierant, id est ab Ephesinâ Synodo in qua damnatus  
 ac depositus est Nestorius: ab anno scilicet Christi 431. Eamque ad duo-  
 decimum Mauricii Imperatoris annum perduxit, qui fuit annus natalis  
 Dominici 594. Certè in libro 3. capite 33. de Severo Antiocheni Episco-  
 po loquens, quo tempore ista scribebat, annum Antiochenorum fuisse  
 dicit 641. Cum igitur hera Antiochenorum octo & quadraginta an-  
 nis natalem Christi antevertat, deductis ex hoc numero annis 48. remanet  
 annus Christi 594. Idem etiam conficitur ex cap. 29. libri 4. ubi scribit  
 Evagrius, dum ista litteris mandaret, luem illam inguinariam quæ totum  
 orbem pervastavit, annis jam duobus & quinquaginta grassatam esse.  
 Grassaria autem cœperat hæc lues biennio post captam à Persis Antiochi-  
 am, hoc est anno Christi 542. Cui annorum numero si duos & quinquaginta  
 annos adjeceris, fiet annus Christi 594. Cæterum laudanda est in pri-  
 mis Evagrii diligentia, qui cum historiam Ecclesiasticam scribere aggressus  
 esset, quæcunque ad id argumentum spectabant, ex optimis Scriptoribus  
 collegit, puta ex Prisco, Joanne, Zacharia, Eustathio, & Procopio  
 Rhetoribus. Stylus quoque ejus non improbandus est. Habet enim ele-  
 gantiam & venustatem, ut testatur etiam Photius. Sed quod præcipuè  
 in Evagrii laudandum est, ex Græcis Ecclesiasticæ historiæ Scriptoribus,  
 solus hic recte fidei doctrinam integram atque illibatam servavit, ut post  
 Photium observavit Baronius in Annalibus. Illud tamen in eo repre-  
 hensionem meretur, quod non tantam diligentiam adhibuit in conqui-  
 rendis antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis, quantam in legendis pro-  
 fanis Scriptoribus. Certè totus fere liber sextus in belli Persici narra-  
 tione consumitur. Stylus præterea plerisque in locis redundat ac luxuriat,  
 ut recte judicavit Photius in Bibliotheca. Cujus *περὶ ἱστορίας* exemplum  
 habes in capite 2. lib. 1. ubi de Nestorio ita dicit: *ἡ θεομαχὸν γλώσσα, τὸ καὶ  
 ἀφαδῶτερον Γνωστικόν*, &c. & in capite 3. libri 2. ubi templum sanctæ Eu-  
 phemiæ describit quod erat Chalcedone, & aliis in locis quæ studiosus  
 Lector per se ipse facile observabit. Porro historiam Evagrii primus om-  
 nium Robertus Stephanus Græcè edidit ex unico Codice Ms. Biblio-  
 thecæ Regiæ, admodum recente, nec valde bono. Pluribus enim in lo-  
 cis mancus est ac mutilus. Nos vero ex duobus MSS. optimæ notæ Co-  
 dicibus, historiam Evagrii tot in locis emendavimus ac supplevimus, ut  
 nunc primum edita possit videri. Primus fuit Codex Florentinus ex Bi-  
 bliotheca S. Laurentii, quem cum editione Genevensi contulit vir claris-  
 simus Michaël Erminius, & varias ejus lectiones manu sua descriptas ad  
 memisit. Quo quidem nomine plurimum ei me debere profiteor. Hic  
 Codex omnium Evagrii exemplarium optimus est ac vetustissimus.

P R Æ F A T I O.

Scriptus est enim in membranis ante annos plus minus quingentos, ut mihi retulit *av. J. J. J.* Emericus Bigotius, vir doctissimus ac de litteris optime meritus: cujus beneficio atque interventu supra memoratas varias lectiones à Michaele Erminio V. C. missas accepi. In eodem Codice Florentino adscripta erant in margine scholia quaedam non inerudita, quæ nos in Annotationibus nostris suo loco retulimus. Cæterum monendus est Lector, in hoc Codice Florentino Socratis Scholastici Historiam etiam contineri, cujus variantes Lectiones manu sua annotatas idem Erminius ad me dudum transmisit, ut ante annos quatuor testatus sum in ea præfatione quam Socratis ac Sozomeni editioni præfixi. Secundus Codex de promptus est ex Bibliotheca illustrissimi Antistitis Dionysii Tellerii, Rhemensis Archiepiscopi: non valde vetustus ille quidem; bonus tamen & docti hominis manu descriptus. Hic Codex multis in locis magno nobis adjumento fuit, ut in Annotationibus nostris subinde ostendimus.

Sequuntur deinde Excerpta ex Historia Ecclesiastica Philostorgii, quæ Photius Patriarcha Constantinopolitanus ex duodecim ejus libris collegit. Ea primus omnium ante annos triginta in lucem edidit Jacobus Gothofredus Jurisconsultus, vir doctus quidem ac diligens, sed qui Græcas litteras primoribus tantum labris degustaverat, nec in pervolvendis MSS. exemplaribus Græcis satis erat exercitatus. Itaque ejus editio atque interpretatio Latina, mendis prope innumeris referta est: quod quidem Gothofredus ipse in Prolegomenis non diffitetur. Ego vero cum duos Historiarum Philostorgii manuscriptos codices nactus essem, novam hanc editionem aggressus sum: in quâ tum loca plurima quæ in editione Gothofredi corrupta erant, restitui, tum lacunas aliquot supplevi. Primus codex fuit Scoriacensis, quem cum editione Gothofredi olim contulit vir doctissimus Lucas Holstenius, & variantes ejus lectiones manu sua ad latus ejusdem editionis adscriptas, paulo ante obitum suum ad me misit. Interpretationem quoque Gothofredi idem Holstenius ad marginem libri sui interdum emendaverat, & quaedam alia annotaverat: quorum ego in Annotationibus meis sedulo mentionem feci, nè doctissimi viri & de antiquitate Ecclesiasticâ bene meriti studium ac labor suâ laude fraudaretur. Alter codex fuit nuper in Bibliotheca Samuelis Bocharti, viri eruditissimi, qui in libro de Animalibus sacræ Scripturæ, hujus codicis interdum mentionem facit. Est ille quidem admodum recens, & paulo ante editionem Gothofredi in Italia descriptus ex manuscripto exemplari Veneto ut opinor. Extat enim Venetiis manuscriptum exemplar Historiarum Philostorgii, ut accepi ab Emerico Bigotio clarissimo viro, qui omnes Italiæ Bibliothecas diligentissimè pervestigavit. Longè tamen præstantior est eo codice quo usus est Gothofredus. Hujus enim unius auxilio, prioris editionis vitia perfanata sunt & expletæ lacunæ. Cæterum de Philostorgio plura hic dicere superfluum puto, cum & Photius in horum Excerptorum Proœmio abunde de illo dixerit, & Jacobus Gothofredus in Prolegomenis suis cuncta quæ de illo dici poterant, ad satiæ usque congesterit.

P R Æ F A T I O.

Postremus in hoc volumine est Theodorus Bysantius, Lector majoris Ecclesiae Constantinopolitanae. Hic duplex opus Historiae Ecclesiasticae conscripsit. Primum opus nihil aliud erat quam Historia Tripartita, duobus libris comprehensa, quam ex Socrate, Sozomeno, ac Theodorito unum in corpus collegerat, a vicesimo anno Imperatoris Constantini usque ad Principatum Juliani. Hujus Tripartitae Historiae notitiam Leoni Allatio debemus, qui primus hoc monumentum ex tenebris eruerat, & publica luce donaturum se esse promiserat. Eiusdem Historiae manuscriptum exemplar Venetiis in Bibliotheca sancti Marci extare, jam pridem monuit Possevinus: quod etiam ab se visum illic esse mihi testatus est Emericus Bigorius. Et initio quidem erat animus, hanc Tripartitam Theodori Lectoris Historiam cum hoc volumine in lucem edere. Sed quoniam non integra ad nos missa fuerat ab Allatio, sed initia duntaxat singulorum capitum, adjectis ad marginem nominibus Scriptorum ex quibus descripta erant, & notatis paginis editionis Roberti Stephani, in quibus reliqua continebantur: ejus editionem superfluum fore existimavi, praesertim cum Scriptores ipsos ex quibus collecta est, integros habeamus; & varias lectiones ex eadem Historia excerptas, in Annotationibus meis ad Socratem & Sozomenum ac Theodoritum accurate retulerim. Secundum opus Historiae Ecclesiasticae Theodori Lectoris, duobus pariter libris comprehensum fuit, quibus Theodorus res in Ecclesia gestas ab iis temporibus in quibus desierat Socrates, usque ad Principatum Justinii senioris complexus est. Ex iis duobus posterioribus libris Excerpta quaedam duntaxat seu Collectanea ad nos pervenerunt, a Nicephoro Callisto conscripta, ut titulus ipse indicat. Porro duplex hoc Opus Theodori Lectoris, quidam ex veteribus unum in corpus compingebant, atque ita quatuor libros Ecclesiasticae Historiae Theodori numerabant. Ex horum numero fuit Joannes Damascenus, qui in libro tertio de Imaginibus insigne fragmentum profert ex libro quarto Ecclesiasticae Historiae Theodori, quod ad calcem excerptorum Theodori in hac editione nostra studiosus Lector inveniet. Hinc etiam est, quod Suidas in Lexico ait, Theodorum Lectorem scripsisse Historiam Ecclesiasticam a temporibus Constantini usque ad Principatum Justiniani. Non quod Theodorus res in Ecclesia gestas a tempore Constantini ad tempora Justiniani, seu potius Justinii, continua serie scripsisset: sed quod duos libros Historiae Tripartitae ex Socrate, Sozomeno, ac Theodorito excerptos, qui a Constantini temporibus exordiebantur, duobus aliis libris Historiae Ecclesiasticae ab se compositae praefixerat. Caeterum inter secundum ac tertium hujus Operis librum ingens erat hiatus, annorum circiter decem & sexaginta, ab obitu videlicet Constantii ad extrema usque tempora Theodosii junioris: propterea quod Theodorus Lector Historiam suam Tripartitam non absolverat integram, sed in obitu Imperatoris Constantii desierat. Alii vero duplex illud Opus Theodori Lectoris distinxerunt, & quidem rectius, ob eam rationem quam modo dixi. Ita certe Nicephorus Callistus, qui Excerpta seu Collectanea ex secundo Opere Theodori Lectoris nobis reliquit, non ex tertio & quarto

P R Æ F A T I O.

Ecclesiasticæ Historiæ Theodori libro, sed ex primo & ex secundo ea prænotavit. Idem in libro primo Historiæ Ecclesiasticæ, dum omnes enumerat qui Ecclesiasticam Historiam ante ipsum conscripserant, nullam prioris operis Theodori Lectoris mentionem facit, eo quod pars illa nihil aliud contineret quàm excerpta ex Sozomeno & Socrate ac Theodorito. Solum vero commemorat opus posterius Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris, quam ille ab iis temporibus in quibus Socrates & Sozomenus ac Theodoritus scribendi finem fecerant, ad sua usque tempora, id est, ad principatum Justiniani senioris deduxerat. Ejus enim Imperatoris electionem refert in excerptis quæ supersunt. Porro excerpta ista ex Historia Ecclesiastica Theodori Lectoris, primus in lucem edidit Robertus Stephanus, unà cum reliquis Ecclesiasticæ Historiæ Scriptoribus, ex manuscripto codice Bibliothecæ Regiæ. Ego vero cum nullum alium hujus Historiæ codicem manu exaratum nancisci potuissem, ex Theophane ac Nicephoro Callisto qui integram Theodori Historiam habuerunt, excerpta ista multis in locis emendavi atque supplevi, ut ex Annotationibus meis studiosus Lector poterit cognoscere. Novam quoque horum Collectaneorum Latinam interpretationem dictavi, cum Musculi versio, quæ sola hæctenus in cunctis editionibus lecta est, quam plurimis in locis ferri non posset. Utinam vero Historiam Ecclesiasticam Theodori integram hodie haberemus. Multa enim scitu digna in ea continebantur: Consulatus quoque quibus quidque gestum fuerat, accurate erant adscripti, ut patet ex fragmentis quæ à me collecta sunt. Cæterum re nunc attentius examinata, dubito utrùm Nicephorus integram Theodori Lectoris Historiam legerit. Quantum enim ex accurata lectione Nicephori colligere possum, Nicephorus integrum opus Historiæ Ecclesiasticæ Theodori non viderat, sed excerpta duntaxat quæ nunc habemus. Certè si integrum opus Theodori legisset Nicephorus, multo plura ac meliora inde in suam Historiam transtulisset. Quod cum ille non fecerit, sed sola ea retulerit quæ hodie leguntur in excerptis Theodori, apparet verissimum esse id quod dixi, integram scilicet Theodori Lectoris Historiam à Nicephoro visam non fuisse. Quare verba illa *ὑπὸ Φωνῆς υμνηφόρου*, quæ leguntur in titulo Excerptorum Theodori, non ita accipienda sunt, quasi horum Excerptorum auctor fuerit Nicephorus. Sed id tantum significant, Nicephorum Callistum hæc Excerpta Amanuensi suo dictasse. Eodem plane modo Leontii Scholastici liber de Sæctis, quem primus in lucem edidit Leunclavius, inscriptus est *ὑπὸ Φωνῆς θεοδώρου τῆς θεοφιλεσάτης ἀββῆ*, eo quod Theodorus Abbas librum illum Leontii Amanuensi suo dictasset.

Sequuntur Annotationes nostræ in quatuor supra memoratos Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores. De quibus præter id quod hujus Præfationis initio dictum est, nihil amplius habeo quod dicam. His annexi sunt observationum Ecclesiasticarum libelli duo: Prior, de Petro Fullone Antiochensis Ecclesiæ Episcopo, & de Synodis in quibus damnatus est. Alter verò de duplici Synodo Romanâ, & de duabus damnationibus Acacii Episcopi Constantinopolitani, In his duobus libellis multa, ut

P R Æ F A T I O.

spero, studiosus Lector inveniet, quæ ante me nemo, quod quidem sciam, hæctenus observaret. Appendicis autem loco subjunxi Dissertationes tres Lucaë Holstenii viri doctissimi, quas ille paulo ante obitum mihi tradi mandaverat, edendas ipsius nomine. Earum porro editionem consultò ad hoc usque tempus distuli, propterea quod duæ quidem priores agunt de epistola Synodica Alexandri Episcopi Alexandrini, quæ in hoc volumine continetur. Tertia vero est de Episcopatu Synesii, cujus mentionem facit Evagrius noster. Quod quidem idcirco temonendum esse duxi, ne quis fortasse quereretur earum Dissertationum editionem nimium diu à me suppressam fuisse. Fruere igitur Lector hoc labore nostro: & si quid commode à nobis translatum & observatum inveneris, Deo Optimo Maximo mecum gratias age, qui mihi oculorum acie propemodum destituto, opus hoc Historiæ Ecclesiasticæ ad exitum perducere concessit. Sic ubi vero lapsus me esse deprehenderit, humaniter ignosce. Homines enim sumus, & ad errandum proclives. In nullo autem unquam labi, Divinum est, ut vetus Poëta cecinit;

Μηδ' ἐν ἀμαρτείνεσσι θεῶ, καὶ πάντα κάτορθεν.

VETERVM TESTIMONIA  
DE HISTORIA ECCLESIASTICA  
THEODORITI.

*Theodorus in libro 4. hereticarum fabularum, cap. 1. de Ario.*

Ἀλλὰ ταῦτα διὰ πλάτης ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἰστορίᾳ συγγραφῆς, ὡς εἰπὸν ἡγῶμαί ταῦτα λέγειν. *Idest:*

Sed cum hæc in Historia Ecclesiastica copiosè conscripserim, superfluum puto eadem hîc dicere.

*Item in cap. 2. ejusdem libri, de Eudoxio.*

Καί ἵνα μὴ πάντα λέγων μηκύνω, τέτων γδ πάντων ἐμνήσθην ἐν ἐκείνῃ τῇ συγγραφῇ, ἔλασσε καὶ τὸν τῆς πόλεως ἐμείνης ἀρπάζασα θρόνον, καὶ τῶ κηρύκων τῆς ἀληθείας τὰς ἐκκλησίας γυμνῶσαι. *Idest:*

Ac ne omnia figillatim referendo prolixior fiam: horum enim omnium in historia illa Ecclesiastica mentionem feci: eò potentia pervenit, ut & sedem illius urbis invaserit, & multas Ecclesias prædicatoribus veritatis orbaverit.

*Cassiodorus Senator in Prefatione Historia Tripartita.*

Hanc igitur Historiam Ecclesiasticam, quæ cunctis Christianis valde necessaria comprobatur, à tribus Græcis auctoribus mirabiliter constat esse